

Dissertatio inauguralis medica sistens tentamen exactius investigandi qua ratione rheumatismus ab arthritide differat ... / die xxiii. Sept. MDCCXCI publice defendet auctor Loebel Ascher.

Contributors

Ascher, Loebel.
Universität Göttingen.

Publication/Creation

Goettingae : Typis Barmeierianis, [1791]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/azgwjgux>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

5

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
S I S T E N S
TENTAMEN
EXACTIVS INVESTIGANDI
Q V A R A T I O N E
RHEVMATISMVS
AB
ARTHRITIDE
DIFFERAT

Q V A M
CONSENSV FACVLTATIS MEDICAE
P R O
OBTINENDIS SVMMIS IN MEDICINA
ET CHIRVRGIA HONORIBVS
I N
ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA
DIE XXIII. SEPT. MDCCXCI
P V B L I C E D E F E N D E T
A V C T O R
L O E B E L A S C H E R
GLOGAVIA - SILESIVS

GOETTINGAE
Typis B A R M E I E R I A N I S.

Quis inuictam me dominam dolorum
Ignorat Podagram in terra mortalium
Quam neque thuris vapor placat
Neque effusus sanguis aras ad incensas;
Non templum diuitiarum vndique suspensis or-
natum donariis;
Quam neque Apollo medicamentis expugnare
valet
Omnium medicus in coelo Deorum;
Non filius doctissimus Aesculapius:
Postquam enim enatum est primum hominibus
genus
Miscentes semper medicamentorum artificia
Alius aliam in me experitur artem —

LUCIANVS
in Tragopodagra.

VIRIS

ILLVSTRI BV S ATQVE EXPERIENTISSIMIS
PRAECEPTORIBVS AD CINERES VSQVE
COLENDIS

DOMINO

IOANNI GODOFREDO
MORGENBESSER

DOCT. PHIL. AC MED. PROFESS. PVBL. ORD.
ANAT. ET ART. OBSTETRIC. REGII COLLEG.
MED. ET SANIT. DECAN. CIVIT. WRA-
TISL. PHYSICO. ETC.

NEC NON

DOMINO

MARCO HERTZ

DOCT. MED. PROF. PHILOS. PRINCIP. WAL-
DEC. CONSIL. AVLIC.

PIO GRATOQVE ANIMO

D. D. D.

A V C T O R.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30794080>

PRAEMONITA QVAEDAM

DE

MORBI NATVRA IN GENERE.

Emendatam vel nouam adeo non solum vocis, sed rei definitionem, me prolaturum esse, si innuere tantummodo vellem, merito temerariae et ridiculosae ostentationis accusandus essem, quum cel. SELLE, vir circa rem medicam immortalis, in praeclearo ipsius libro "*Rudimenta Pyretologiae methodicae*" sine vlllo dubio et consentientibus maximis medicis, omnia de hoc argumento egregie explicauerit, quae a Philosopho subtili ingenioque ampla eruditionis copia instructo desiderantur.

A

Si

Si autem quaeris L. B., cur ergo hac de re proloqui mihi visum sit, quum omnia hoc argumentum spectantia a celeberrimo hoc auctore iam ad liquidum perducta sint? scito: consilium meum in scribenda hac praefatione eo duntaxat tendere, ut Viri huiusce experientissimi notiones quasdam principales, ad hanc rem pertinentes, in memoriam Tibi reuocarem, ut statim diiudicare posses, quatenus sententiam acutissimi auctoris perspexerim, ut non solum in hocce meo opusculo, sed in quacunque re artem salutarem spectante, uti in votis est, idearum mearum ordinem huius egregii viri cogitationibus tanquam normae accomodare polleam.

His itaque praemissis, neque superuacuum neque ex vanitate profectum existimatum iri, confido, quod paucis, quantum fieri potuit, verbis generalia quaedam Tentamini huic antecedere iusserim.

Si iustam perfectamque morbi alicuius cognitionem consequi, imprimis vero si comparationem inter duos constituere conamur, vtrum scilicet et quatenus duo morbi inter se vel differant vel conueniant, merito a nobis postulatur, vt primo casu de vno, vltimo vero de ambobus morbis

1) notitiam historicam *a)* acquiramus, i. e. vt omnia, quae euenire solent phaenomena seu symptomata, verum morbi characterem, sensu nosologico, sistentia cum essentialia tum accidentalia *b)* prorsus habeamus perspecta; quo referendae sunt omnes et remotae et occasionales caussae, ita vt hac via, quae vnica fere putatur,

2) cognitionem morbi indolis, seu caussae, quam dicunt, materialis arripiamus. Quum vero ad indolem morbi cognoscendam sola historica de morbo notitia nondum

a) SELLE Pyretol. method. pag. 16.

b) GOENERI Praeceptoris nostri m. v. Pa-
thol. pag. 38,

dum sufficiat, quandoquidem ex hoc fonte certum de natura morbi iudicium nondum fluat, vnum adhuc superest adminiculum, cui cetera omnia, v. c. illud, quod ex cadauerum sectionibus desumitur, longe postponenda sunt c), puta scilicet:

3) *Analogiam in medelae methodo*, quae certis et diligenter institutis observationibus superstructa esse debet. Vt breuiter et nihilofecius grauiter necessitatem et momentum huius subsidii explicem, ipsissimis egregii auctoris supra memorati verbis vtar. Ille enim tam diserte quam scite:

*„in chymia corporum, ait, mixtione ex va-
 „ria eorundem ad alia relatione cogno-
 „scimus, sic ad morborum indolis cognitio-
 „nem ipsius medelae ope perducimur, et
 „sicut systema mineralogicum naturale abs-
 „que corporum examine chemico condi-
 „nequit, ita morborum systema naturale
 „sine experientia practica, qua probe in-
 stituta,*

c) cel. SELLE l. c. pag. 61, cel. GOENER l. c. p. 37.

„stituta, tum demum ad argumentationem
 „ex analogia ducimur, nullum est d)“.

Atque haec pauca in memoriam reuo-
 cata praecepta consilium meum, quod in
 hacce mea comparatione arthritidem inter
 et rheumatismum secutus sum, fatis defen-
 dent.

Prima igitur sectio tractabit de praeci-
 pui symptomatibus tamquam signis patho-
 gnomonicis, nec non de causis arthritidis;
 altera comparationem horum symptomatum
 et causarum cum illis instituet, quae rheu-
 matismo sunt propria; tertia curationem
 utriusque morbi continebit, habita ratione
 eorum hoc nomine vel discrepantiae vel con-
 sensus. Quarta denique sectio ea comple-
 detur, quae ex prioribus sequantur, utrum
 scilicet, et qualis differentia utrumque mor-
 bum intercedat?

Priusquam vero ipsum laborem aggre-
 diar, ingenue confitendum est, me non

sine magna verecundia ad tam grave argumentum accedere, quum virium mearum tenuitatem iudicii que immaturitatem probe sentiam, ex altera autem parte de rei gravitate multisque, quas secum fert, difficultatibus persuasum mihi sit.

Longe itaque ab eo absum, quin totam rem funditus explicasse mihi sumam; dummodo huic spei relinquatur locus, hocce imbecillum periculum ob ipsam imbecillitatem et vitia magnum et excellentem forsan in re medica virum, qui melius huic labori vacare possit, excitaturum esse, ut propitiori Minerua hoc argumentum tractet, vel me ipsum fortassis aliquando, viribus ingenii magis excultis, frequentioreque lectione et observatione instructum hoc opusculum retexurum esse.

Quod tandem causam attinet, qua commotus sum, ut iam nunc hunc ingenii mei fructum tam praematurum quam immaturum in lucem emittendi cupidus sim,

fatis

fatis illam in ipsa libelli fronte expositam esse arbitror. Ex more enim in omnibus fere academiis recepto quemque summos in medicina honores adspirantem necessitas obstringit, ut inter alia diligentiae specimina et dissertationem conscribat.

Quum itaque Tibi, L. B. plura adhuc videantur immatura ac parum polita, repotes quaeso, me non ex animi voluntate, sed necessitatis lege coactum scripsisse.

 SECTIO I.

 DE PRAECIPVIS ARTHRITIDIS SYMPTO-
 MATIBVS, SEV SIGNIS PATHOGNOMO-
 NICIS, ET DE VARIIS EIVS CAVSSIS.

Ἀρθριτις, Morbus articularis e) germ. *die Gicht*, gal. *la goutte*, angl. *the gout*, b. *Het stercyn. leden Krankheid.*

Commune habere videtur hic morbus cum multis chronicis et acutis morbis, quod vera ipsorum natura secundum logices praecepta definire nequeat; quo circa in sola eius descriptione acquiescendum est. Sunt vero eiusmodi descriptionum duo genera, primum minutissima symptomata, totum

e) Veteres hanc vocem simul arthritidem et rheumatismum significando adhibuerunt, donec BALLONIVS in libro de rheumatismo et pleuritide dorsali, Parisiis 1643 primus hos duos morbos discerneret.

totum morbi decursum ab initio vsque ad finem, cum omnibus et remotissimis causis et quam quisque proximam putet, accuratissima narratione persequitur, vt hoc modo eo magis in sensus cadat morbus; alterum ex hac proluxa descriptione tamquam auramentum defumit, i. e. summa momenta breuiter colligit, et abstractum eius characterem proponit *f*). Vtrumque tamen genus consilio meo parum respondet, siquidem prius plura contineat, quam scopus meus postulat, posterius autem pauciora. Vt itaque iustum teneam temperamentum, characterem morbi a plerisque aphoristice duntaxat propositum commentatione quasi interpretabor; non tamen isti ordini semper me accommodabo, quo opus est, quando vel nouum morbum explicare vel tamen incognitum aliquid de morbo alioquin satis noto proferre volumus. Ne

A 5

vero

f) Vid. CULLEN'S first lines of the practice of Physic. Vol. II. pag. 52. cel. SELLE l. c. in appendice. p. 370.

vero male intelligar, et iniquis iudiciis occurram, hoc adhuc praemonendum esse videtur, me in enumerandis signis pathognomonicis et causis semper arthritidem regularem respicere et anomalae tum solummodo mentionem facere, cum explicatio indolis morbi id requirere videatur, vbi vero definite indicabitur.

Morbo itaque, de quo sermo est, haec verum eius characterem manifestantia signa solemnia sunt; est secundum omnium fere et probatissimorum auctorum testimonium, (quorum nominibus adlegandis chartam haud impleam) *morbus haereditarius g*); inuadit potissimum sexum potioem; nam foeminae huic morbo obnoxiae firma plerum-

g) CADOGANI in libro, *Abhandlung von der Gicht a. d. Englischen Frftv. und Leipzig 1772*, hoc quidem negat, sed a multis refutatus est, et praesertim, ex mea sententia, acutissime a Car. Geor. SAGER in *Diss. inaug. de rheumatismo regulari ac laruato Goettingae 1789.*

rumque et quasi virili gaudent structura, et, quod CVLLENIVS *h)* obseruauit, eas saepius hoc malum infestat, quarum fluxus mensstruus admodum copiosus et largus fuit. Omnium rarissimi hoc morbo corripuntur spadones; quod quum HIPPOCRATES iam animaduerneret, in eam opinionem incidit, vnicam arthritidis causam in venere immodica requirendam esse; quam opinionem LIGERVS *i)* vt erroneam vehementer carpit. Inter mares praecipue in hunc morbum incidunt, qui corpore sunt valido ac robusto, eodemque succipleno, praeterea capite magno et monente CVLLENIO *k)*, crassiori reti mucoso. Ill. SELLE, hunc characterum ita depingit; *”ii, inquit, ad arthritidem procliuiores sunt, qui magnis pollent viribus muscularibus, laute et magna*

”60-

h) l. c. pag. 53.

i) TRAITÉ de la goutte Paris. MDCCLIII.

k) l. c. p. 54. and men, (inquit) whose skens are covered with a thicker rete mucosum, which gives a coarser surface.

„copia cibos valde nutrientes sumunt, et
 „simul sensibili tamen nervorum systemate
 „praediti sunt, siue ab ipsa natura, siue
 „magnis euacuationibus et exinanitionibus,
 „quibus ingens haec nervorum debilitas ef-
 „fecta est *)”.

Ratione temperamenti, quod imprimis
 huic morbo faueat, ill. CVLLENIVS 1), quam-
 vis certi aliquid constituere dubitet, non
 immerito censet, homines cholericis - san-
 guineo temperamento, prae aliis arthritide
 corripiri et rarissime mere sanguineos aut
 melancholicos.

Raro praeterea arthritidis homines acti-
 uam vitam degentes vel victu quam ma-
 xime vegetabili fruente infestat, quin gen-
 tes vino et potu effervescente abstinentes
 minus obnoxiae huic morbo esse dicuntur,
 quam

*) med. clinica. p. 152.

1) l. c. pag. 54.

quam aliae *m*). Hoc loco LIGERVS *n*) a plurimis pathologis discedit, contendit enim, cereuisiam magis hunc morbum progignere solere quam vinum, eo tamen excepto, quod ex pomis conficitur; potus itaque huic morbo fauentes hoc ordine enumerat, 1) *vinum ex pomis* (le Cidre), 2) *Cereuisiam fortem*, 3) *vinum, quamuis tenue, quod tamen ex efferuescentibus substantiis consistit v. c. vinum muscati, et quod ab illo vocatur le vin de condrieux.* Quam quidem sententiam historiae testimoniis confirmat, quum in ducatu Burgundiae et Campaniae, vbi maximus vini vsus sit, nullus fere arthriticus inueniatur, in Flan-
dria

m) La Coste TRAITÈ pratique sur la goutte etc. à Amstelod. 1757 pag. 55. sequentia hac de re notatu digna habet; "on trouve „en Turquie quantité de vrais MUSVL- „MANS, attaqués de la plus mauuaise forte de goutte, ils n'ont jamais bu de vin, mais ils se sont epuifés dans leurs serails.

n) l. c. p. 75.

dria contra et Normandia, regionibus propter vinum ex piris expressum (le cidre) satis notis, vulgaris fere fit morbus, praecipueque quoniam et cereuisiae fortiores ibi bibantur. Idem obseruauit MVSGRAVIVS o) inter Damnonios, quibus itidem istiusmodi potus solemnes sunt.

Plerumque ante XXXV^{tu}m aetatis annum morbus nunquam aggreditur homines; qui enim iunioribus iam annis arthritide vexati sunt, certo multo proniores in hunc morbum fuerunt, ita vt caussarum occasionalium vis facili negotio agere potuerit.

Quum malum igitur sit haereditarium et corporibus praecipue robustis, sensibilibus tamen, insidietur, omnes caussae remotae optime in praedisponentes et occasionales dispefcuntur. Causam praedisponentem quod attinet, quum a peculiari corporis habitu pen-

o) Guil. MVSGRAVE de arthritide primigenia et regulari. pag. 52. 53.

pendeat, iam supra, vbi habitum illum depinximus, ea quae necessaria videbantur, attulimus. Caussarum occasionalium vero iusta exactaque diiudicatio non exiguis laborat difficultatibus, propterea quod in corpore disposito occasiones, quae minimi momenti esse videbantur, morbum ex insidiis vocare valeant; in corpore non disposito contra plurimae harum occasionalium caussarum coire solent, morbo articulari non subsequente. In uniuersum autem hae caussae ad duo momenta referri possunt; vel enim plethoram efficiunt, vel corpus iam plethoricum in statum debilitatis deiiciunt. Primis adnumeranda videntur vita otiosa et sedentaria, cibi valde nutrientes praecipue ex regno animali, copiosior vini vsus aliorumque potulentorum efferuescentium. Altera caussarum occasionalium species, debilitatem efficiens, nimiam venerem, immodicum potuum inebriantium vsum, impeditam vel imminutam digestionem, orta sit siue a nimia ciborum quantitate siue ab eorum

eorum vitiosa qualitate *p*), nimiam animi vel corporis virium intentionem, vigiliis, euacuationes supra modum, cessationem a consueto labore, transitum iusto celeriore a victu luxurioso ad tenuem, frequentiorum acidorum usum et tandem perfrigerium pedum complectitur. Ex duabus his causarum occasionalium speciebus prior magis ad dispositionem quandam conferre videtur, posterior vero plerumque continet causas excitantes tam primum impetum quam morbi recidiva.

Paroxysmus arthriticus constat imprimis vehementioribus inflammatoriis doloribus quorundam

p) Inter cibos, quorum indoles multum ad hunc morbum producendum facit, ill. MVS-
GRAVE l. c. pag. 66. refert, carnes ferinas, porninas, lampetrae, concharum, cyprinorum, sturionis. De cyprinorum esu pinguiorum affirmat SCHENKIVS, in Obser. med. lib. V. pag. 751, Podagrosus quendam ita huic cibo audientem habuisse podagram, ut in manu illi esset, hoc pacto quandocumque vellet, eam accersere.

rundam articulorum ex inferioribus extremitatibus. Qui quidem paroxysmus interdum derepente sine omnibus prodromis adoritur, plerumque vero plura ipsius adventum manifestantia symptomata antecedunt: nempe sensus quidem frigoris in ventriculo, quasi aquae inataret; interdum cardialgia, ciborum appetentia tamen incorrupta; nonnunquam cruditatum signa iam ante plures septimanas manifestantur? mingendi difficultas et veluti vesicae spasmus *q*); aluus morosa; urinae magis flavae, profunde flavae, bruneae, ictericorum, lateritiae *r*),
sub-

q) Vid. STOLL rat. med. pars VI ta p. 431.

r) Ioh. SCOT Enquiry into the Gout art pag. 5. sequentia de hac vrina profert. "I
„particularly mention the appearance of
„the urine be cause the red sedementis a
„certain criterion of the true inflamad Gou-
„and never accompanies a spurious or im-
„perfect attack.

subinde copiosae limpidaeque simul, aut crystallinae, nonnunquam cum sedimento mucoso albo; grauitas corporis, somni minus reficientes, stante voraci appetitu non naturali, vna procedunt; mens irritabilior et hypochondriasis consueto maior, salacitas subinde; crurum femorumque dein veluti stupor, insensibilitas, spasmodicaeque affectiones ac crampi; pedum sudores consueti euanescent *); pridie ante inuasionem maior plerumque hilaritas agilitasque.

Hi sunt morbi prodromi — Reliqua phaenomena et res circumstantes, sub quibus paroxysmus oritur, talia sunt. In iuuenibus nec debilitatis corporibus impetus semper fit mense Ianuario exeunte, vel Februario ineunte s), maturius aut serius, prout calor veris celeriter aut tarde hiemis rigorem excipit; forsitan etiam, quo magis
aut

*) CULLEN l. c. pag. 59.

s) SYDENHAM. l. c. p. 436.

aut minus corpus vicissitudinibus frigoris et aestus expositum fuerit *t*).

Nonnunquam impetus vesperi persentificatur primum, plerumque tamen miser fanus adhuc cubitum it *u*) et hora demum secunda aut tertia noctis expergefactus, doloribus vehementissimis magni digiti pedis, calcanei, vel malleoli cruciatur. Dolores describit SYDENHAMVS, optimus huius rei iudex, quippe qui per triginta annos molestissimo hoc malo laborauerit, tali modo:

"Hic dolor eum refert, qui ossium dislocationem comitatur, cum sensu quasi aquae tantum non frigidae partis adfectae membranis adfusae — Illico post accessum huius doloris fit horripilatio et febris noctu exacerbans, de qua ill. STOLL v):

"Si eius mensuram, inquit, ex pulsu ca-

B 2

,pias

t) CVLLEN l. c. p. 61.

u) SYDENHAM. l. c.

v) l. c. pag. 432.

„*pias*, ea videtur esse parva et querelis
„*aegri non respondens*”. Noctu somni
turbati et assidua situs mutatio, donec sub
auroram leui madore perfusus aeger inci-
piat abdormire. Prout febris intenditur
circa vesperam noctuque, ita etiam dolor
adfectae partis, qui varius esse solet, nunc
terebrans, lancinans, morsicans, compressi-
vus. Mane euigilans se resectum modice
sentit, dolore mitiore, minus febricitat, at
partem adfectam reperit dilucidissime ruben-
tem splendentemque et immobilem prae do-
lore; venae pone partem adfectam tume-
scunt, velut ab applicato vinculo *w*). Post
nychthemeron praeterlapsum doloris qui-
dem et febris vehementia dilucide imminui-
tur, sed prorsus liberatus aeger nondum
est, redeunt enim per aliquot dies et do-
lor et febris sub vesperam, modo maiori,
modo minori acerbitate. Tum vero, post-
quam hoc per plures dies continuatum
est

w) SYDENHAM l. c. pag. 437.

est, morbus interdum prorsus evanescit, et longo demum temporis spatio transactio iterum in lucem prodit. Plerumque eiusmodi paroxysmus, qui, monente Sydenhamo, ex pluribus paroxysmulis constat, non diutius, quam quatuordecim dies durat, quamquam in senioribus atque iis, qui iam saepius hoc morbo correpti fuerunt, diuturnioris morae sit; ita ut nonnunquam aegri isti per duos continuos menses in hoc morbo cubare soleant, quin aliqui tantummodo durante aestate ab eo immunes sint.

Paroxysmo autem prorsus absoluto, pristinus sanitatis status perfecte restituitur et homines, omnes corporis et animae functiones maiori celeritate et alacritate perficiunt x). Ratione durationis interuallorum inter maiores paroxysmos, hoc adhuc tenendum est, initio impetus singulis trienniis exactis redire; postea vero interualla

B 3

iam

x) CVILLEN l. c. pag. 63.

iam paulatim imminui incipiunt, ita ut primo semel per annum fiat impetus, deinde bis et tandem pluries, durante autumno, hieme et vere. Quemadmodum autem paroxysmi increbescunt, sic etiam diutius remanent, ut tandem, quum morbus maximum ascendit gradum, aeger nunquam fere ab eius cruciatu immunis sit, exceptis duobus vel tribus mensibus aestatis, uti supra iam dictum est. Porro gradus incrementi morbi etiam partibus quae correptae sunt, indicatur; initio enim vnus solummodo pes adficitur, deinde ambo, alter post alterum, et ingrauescente malo, non solum ambo pedes sensim corripuntur, sed dolor, postquam pedem, quem postremo adortus est, satis diu cruciauit, ad priorem redit, quod quidem interdum repetitis fit vicibus. Si morbus iam per aliquot temporis spatium durauit, ideoque et paroxysmus frequentior factus est, vis dolorum paulatim frangitur; quo autem gradu dolores

dolores ingrauescunt, eodem aegri sensim magis fiunt valetudinarii, omniaque arthritidis atonicae symptomata accedunt, vt itaque ratio constet inter violentiam dolorum et magnitudinem interuallorum sanitatisque integritatem per tempus interuallorum; quo maior enim violentia dolorum est, eo maiora sunt et intervalla perfectiorque sanitas; nam SYDENHAMVS ait, "*hoc in morbo dolor amarissimum est natura phar-macon*".

Post primos impetus partes, quae ab hoc malo adfectae erant, simulac paroxysmus cessat, pristinam agilitatem et robur prorsus recuperant. Quum autem deinde frequentiores fiunt impetus, partes correptae neque tam celeriter neque tam plenam integritatem recipiunt, sed superatis adeo paroxysmis plus minusue manent debilitatae et rigidae, quin tandem eo miseriarum venit, vt ista membra omni motu priuentur.

Multis aegris, quamvis non omnibus, nascuntur, durante morbo notissimi illi tophi in articulis *y*), qui initio quidem molles, deinde vero obdurescentes, mobilitatem membri magis adhuc impediunt.

Tandem tanquam signum caracteristicum notandum est, arthritidem paululum tantummodo inueteratam adfectionibus nephriticis alternare, vel MVSGRAVIO observante *z*) utrumque morbum eodem tempore in eodemque homine adesse; quin in ipsa huius morbi propagatione eadem alternatio locum habet, ita ut, quum parentes calculosi siue podagrici essent, liberi quoque hoc vel illo morbo corripenterentur, et quidem sine discrimine fuerit parentum morbus

y) Memorabile mihi videtur, quod MVSGRAVIUS l. c. p. 123. istos tophos in arthritico adeo in capitis galea observauerit.

z) CVLENIUS, hos morbos semper sese excipere, nunquam vero simul adesse, contendit l. c. p. 67.

morbus hic vel ille, e. g. si fuerunt parentes calculosi quidam ex liberis calculosi, alii vero podagrici facti sunt et sic v. v.

Atque haec sunt symptomata characteristicam et praecipue causae remotae arthritidis regularis, quae, quantumvis respectu graduum et ratione coniunctionis inter se differant, in vniuersum tamen spectatae, admodum sunt constantes, ut vulgarem, quae plerumque arthritidis apparere solet, formam constituent, et tanquam regulae suscipiendae sint.

Arthritidis irregularis siue anomala tum vero adest, si omnes causae remotae et praedispositio cum habitu supra descripto eius praesentiam indicant, nisi quod propter multifarias causas accessorias aliam induat speciem; sed, ut magis definite loquar, quum summum momentum in arthritide regulari spectandum in affectione inflammatoria artuum a) inferiorum

B 5

ex-

a) SCOT. l. c. pag. 5. et 107, CVLLEN. l. c.

extremitatum consistat, omnia alia symptomata, quae loco horum, ceteris paribus, apparent, arthritidi anomalae adnumerantur. Haec arthritis anomala pro diuersa eius origine in tria genera diuiditur, quorum primum est *arthritidis atonica*, quando natura ex variis impedimentis prohibita est affectiones inflammatorias in articulis extremitatum inferiorum excitare, ideoque earum loco plures molestiae in his partibus oriuntur. Si haec arthritis adest, symptomata morbosa praecipue consistunt molestiis ventriculi, i. e. appetitu prostrato, cruditate cum omnibus malis quae inde sequuntur, nausea, vomitu, flatibus; nec non ructibus acidis, et doloribus circa regionem vmbilicalem.

His accedunt saepius affectiones spasticae in diuersis trunci partibus, superiorumque extremitatum, quae ructibus leuantur. Praeter has ventriculi molestias non raro adest vel obstructio aluina, vel minor diarrhoeae

rhoeae vel colicae gradus; quaequidem tubi alimentaris adfectiones saepius plus minusue forti hypochondriasi iunguntur. Nonnunquam viscera thoracis in hac arthritide atonica adfectae partes sunt; quod si est, palpitationes cordis, animi deliquia, asthma etc. oriuntur; in capite quoque hoc casu animaduertuntur dolores, vertigo, symptomata apoplectica et paralytica.

2) Cognomen *retrogradae* accipit arthritidis, si adfectiones inflammatoriae articulorum extremitatum inferiorum adfuerunt quidem, verum vel tam exigua vehementia, vel breuissima mora, ut non sufficerent salubribus naturae moliminibus prorsus satisfacere; tum dolores extremitatum subito cessant, eorumque locum occupat dolor hanc vel illam corporis partem adgrediens; nascuntur tunc modo haec, modo illa symptomata pro diuersitate partium correptarum, quae hic eadem esse solent, quam istae, quarum in antecedente specie mentio facta est.

3ia porro *arthritis incongrua* (misplaced gout Anglorum) nominatur, si morbus primo statim impetu, quum alias artus corripit, internas infestat partes, et quidem eo discrimine ab arthritide atonica, ut non, quemadmodum haec, diuturnum statum morbosum efficiat, sed veram inflammationem, ab aliis inflammationibus ex aliis causis ortis nulla ratione discernendam.

Cuius quidem arthritidis anomalae generis diagnosi difficillima est, quamvis causae praegressae, phaenomena praesentia, nec minus nocentia et adiuvantia quaedam adminicula suppeditare possint. Inprimis laborat difficultatibus diagnosi eius respectu ad arthritidem retrogradam. Itaque CULLENIVS b) de hac specie, "*Whether the* "gouty, inquit, *diathesis does ever produce* "such inflammation of the internal parts, without having first produced it in the "joints, or if the inflammation of the internal
 „part

b) l. c. pag. 73.

"part be always a translation from the
 "joints previously affected, I dare not de-
 "termine; but even supposing the later to be
 "always the case, I think the difference
 "of the affection of the internal part must
 "still distinguish the misplaced from the re-
 "trocedent gout" —

Iam ad summum momentum accedo,
 ad quod ea, quae hucusque dicta sunt
 tendebant scilicet ad causam huius morbi *ma-*
terialem seu proximam. Omnes vero eas-
 que diuersas sententias, quae ab Hippocrate
 inde usque ad nostra tempora hac de re
 latae sint, ordine hoc loco referre, tum iu-
 stos dissertationis limites superaret, nam in
 immensum excreceret opus, tum valde su-
 peruacaneum esset, quandoquidem unus-
 quisque, quem iuaret multa ista ac mira
 cognoscere, quae per omne aeuum de hoc
 argumento cogitata et scripta sint, facili
 negotio voti compos fieri possit, dummodo
 Ligerum, qui omnia circa hanc rem colle-
 git, legat, vel etiam cel. v. SWIETEN,
 qui

qui in commentariis suis exactius adhuc hoc praestitit. Nihil itaque faciam, quam ut adnotatiunculam adiiciam, quae simul et meam hac de re sententiam continebit, tam ex lectitatione scriptorum praeclarorum virorum, quot scilicet legere contigit, quam ex obseruationibus circa aegrotorum lectulos mihi natam.

Enimuero qui exigua tantummodo attentione diuersos auctores de hac re perlegit, statim intelliget, momentum controversum seu dissensum opinionum eo redire, quod, uti in plerisque rebus humanis fieri solet, extrema nimis sectati sint homines, quae tamen aequae longe a recto veraque rerum natura absunt. Voluerunt enim alii, et praecipue omnes fere veteres, et multi quoque recentiorum, explicationem omnium huic morbo solemniium phaenomenorum et ipsam adeo medelam inde sumere, ut pro causa proxima *solummodo* humorum degenerationem haberent; nam plura morbi
 ipsius

ipfius phaenomena et curandi methodi id
 poftulare ab ipfis videbantur. Proinde
 omnis cauffa materialis in peculiari quadam
 materia peccante latebat, quae pro theoria,
 tum temporis principatum obtinente, varia
 erat. Modo atra bilis, modo efferuefcen-
 tia fpirituum animalium; modo acidum
 quoddam. HOFFMANNVS materiam tarta-
 ream fanguinis accusabat *c)*; LIGERVS de-
 generationem mucilaginosam humorum *d)*.
 Omnes hae et innumera multitudo alia-
 rum fententiarum de hac materia peccante,
 hoc habent commune, quod folam mate-
 riam, nulla alia ratione habita, respiciant.
 Alii vero, inter quos poft celeberrimum
 WHITTIVM multi Angli funt, debilitatem
 huius ab omnibus receptae fententiae
 probe

c) Cuius tamen fententiam, la COSTE l. c.
 pag. 24. refutauit.

d) Nec minus et haec opinio a cel. SWI-
 TENIO in Commentar. T. IV. pag. 296.
 confueta magni huius viri folertia et eru-
 ditione confutata eft.

probe sentientes, quod neque omnia huius morbi phaenomena, neque curandi methodum ex sola materia specifica explicare possint, in aliud, huic prorsus oppositum extremum inciderunt, et nullam omnino materiam arthriticam tamquam causam proximam statuerunt. Morbum itaque neruosis, ex definitione cel. SELLEI *e*), morbis adnumerant, scil. vitium quoddam in vniuerso systemate neruoso, vnicam causam esse putant. Quam sententiam recentioribus temporibus studiosissime et tamquam ex professo, vt aiunt, defendit ill. CULLENIVS *f*), qui octo vel nouem argumenta contra existentiam materiae arthriticae protulit, quibus illam impugnare voluit; sed quae omnia, ex meo iudicio, non solum fracta, sed funditus refutata sunt in dissertatione, quae Halae praeside cel. GOLDHAGEN anno 1789 in lucem prodiit *g*)
cel.

e) Md. clin. pag. 355. sequent

f) l. c. p. 77.

g) Examen doctrinae CVLLENIANAE de natur. morb. arthritica auct. Ioh. Sam. Luther.

Cel. Scot quoque huic opinioni addictus est, quamuis simul materiae biliosae rationem habeat.

Quum igitur ambae partes, tum illa, cui omnia ex materia peregrina explicari posse videtur, tum haec, quae omnino eiusmodi materiam negat, vel saltem pro effectu, non vero pro causa morbi habet, limites, ut iam supra innui, transilierint, sequebatur, ut neutra pars verum adsequeretur, sed tam in explicandis symptomatibus, quam in medela, ipsorum theoriae de causa proxima superstructa, fallerentur. Manifestum ergo videtur, sententiam de causa arthritidis proxima, in qua maxime acquiescendum est, esse eam, quae inter haec duo extrema medium tenet locum, et veram morbi rationem cum in vitiosa concoctione indeque orta irritante acrimonia humorum, tum aucta sensibilitate et irritabilitate ponit, ut itaque fluidae non minus, quam solidae corporis partes, causam pro-

ximam coefficient. Quantum haec opinio eo adiuuatur, quod omni respectu maxime probabilis (quo in rebus aciem effugientibus et litteratis dubiis contenti esse debemus) rationique maxime consentanea fit: tantam accipit mantissam, auctoritate viro- rum, quorum exacto iudicio multum dan- dum est. SYDENHAMVS enim, vir, cui, si in vlllo alio morbo, praecipue in hoc iudicium competit, aperte hanc sententiam probat, dicens; *“omnes animi nervos variis huiusce morbi phaenominis contemplandis acriter intendens, illum Ἄπνευσία seu labe- factatae tam in partibus, quam succis cor- poris vniuersis, coctioni ortum debere existi- stimo h)”*.

Iuerunt porro in hanc sententiam in- ter omnes medicos longe celeberrimus BOERHAVIUS et egregius eius commenta- tor; cuius rei documenta adferre non opus esse videtur, quum vnusquisque, cui hoc
nondum

h) l. c. p. 444.]

nondum fatis compertum fit, facile sine me id cognoscere possit; nam placita eorum non solum vno vel paucis verbis continentur, sed disertissime pluribus paginis *i)* a clarissimo BOERHAVII commentatore exponuntur. Accedit tandem, ut multos alios taceam, auctoritas viri celeberrimi, iam proh! dolor inter coelites versantis, STOLLII dico, qui luce clarius: interim, inquit, „non in solo humore consistere videtur „arthritis, sed simul adest excessus irritabilitatis *k)*”. Postquam hanc de proxima nostri morbi causa sententiam tanquam maxime consentaneam exposuerim, licitum mihi fit, priusquam huic sectioni colophonem addam, vnicam adhuc subiungere quaestionem: scilicet vtrum reuera prorsus necesse sit, ut vtraque remota causa proximam efficiens, nimirum irritabilitas et sensibilitas nimis aucta, et vitium in humorum coctione, num, inquam, necesse sit,

C 2

vt

i) p. 331. seq.

k) l. c. p. 445.

vt hae duae caussae semper simul existen-
tes et coordinatae, quod aiunt, fingi de-
beant? anne potius modo haec, modo illa
prima sit, quae aliam tanquam effectum
progignat, et quae tunc coniunctae ter-
tium aliquid, arthritidem puta, efficiant?
Exemplo quaestionem illustrabo. Nonne
verosimile est, morbosum systema neruo-
sum sensim sensimque vitium coctionis
creare, et tunc demum has duas causas
morbum producere, et sic etiam inuersa
vice; nonne continua deprauata coctione
indeque orta acrimonia systema neruosum
ita adfici potest, vt exinde hic nec vllus
alius morbus sequatur? Atque haec opinio
eo magis mihi arridet, quoniam multa ex
ea melius explicari possunt, quae celeberrimi
viri WHITT et SCOT de similitudine,
quae hunc morbum inter et hypochon-
driacum intercedat, affirmant; praeterea
haec via, vti mihi videtur, facilius expli-
catur transitus tot aliorum morborum in
arthritidem, iterumque huius in alios.
Quo-

Quotiescunque nempe altera ex his duabus
caussis per aliquot tempus sola adfuit et
per se varios effecit morbos, paulatim
vero diuersis caussis accessoriis illam modi-
ficationem nacta est, vt et aliam causam
aduocaret, toties alii quoque morbi in
arthritidem transeunt; inuerfa vice, si vna
harum caussarum remotarum ita fracta est,
vt coniuncta cum altera arthritidem pro-
gignere nequeat, tunc arthritis in alios
morbos transit; exempla primi casus exhi-
bent morbus hypochondriacus et hystericus,
nec non multifariae neruorum affectiones,
interdum in arthritidem transeuntes; sicuti
vltimum casum testatur transitus arthritidis
in gonorrhoeam *l)*, fluorem album, etc.

Iam itaque satis de symptomatibus et
caussis huius morbi dictum esse videtur,
vt nunc eo certius accuratiusque in id in-

C 3

quirere

l) SCOT. l. c. pag. 95. — Si hunc locum
cel. viri legeris, coniecturam, quam facere
ausus sum, non prorsus absouam iudicabis.

quirere liceat, quid commune habeant haecce symptomata et caussae cum illis, quae rheumatismo sunt propria, vel quid peculiare? verbo: quatenus hi duo morbi, arthritis et rheumatismus, ratione causarum et phaenomenorum inter se vel congruant, vel a se recedant; atque hoc examen secunda, ad quam nunc progredior, sectio instituet.

SECTIO IIa.

COMPARATIO INTER ARTHRITIDIS SYMPTOMATA CVM ILLIS, QVAE RHEVMATISMO SVNT SOLEMNIA.

Hanc sectionem antequam ipsam adgredior, non possum, quin mei ipsius caussa, duo lectorem moneam. Primum ipse probe sentio, iure a me postulari, si accurate rem tractare susceperim, vt, priusquam

quam comparationem institutam, symptomata et causas rheumatismi sigillatim persequar; verum vt, hoc negotio omisso, statim ad comparationem transeam, duae suadent rationes; prima est studium breuitatis, vt scil. superuacaneis repetitionibus superfedere possim, cum eadem symptomata et causae in comparatione recurrant; altera, quia inanem operam sumfisse viderer, hisce symptomatibus et causis iam ab optimis auctoribus dilucidissime expositis, vt merito credere possim, ea nullum lectorem in medicorum libris versatum fugere posse; his accedit, quod consilium libelli, qui tentaminis causa scriptus est, eo non tendat, (saltem auctor huius opellae ab ista arrogantia abhorret) vt lectorem edoceat, sed potius aliis iudicandum proponat, num ipse qui scripsit, argumentum suum satis calleat; atque hic finis aequae obtineri potest, si in comparandis his duobus morbis eundem ordinem sequar, quo plerumque rheu-

matissimus describi solet; ita tamen, ut in comparatione descriptio simul contineatur.

Alterum, quod praemittendum putavi, eo consistit, ut solummodo rheumatissimum regularem et simplicem intelligi cupiam, sicuti in antecedentibus etiam de regulari arthritide tantummodo sermo fuit. Sed haec haecenus.

Quantacunque similitudo inter arthritidem et rheumatissimum primo intuitu appareat, tantum tamen dissimilitudinis elucescit, si diutius in his morbis contemplan- dis moraris, et, quod iam a me instituetur, ad genesin et symptomata utriusque morbi attendis; ita ut hac ratione (nam de illa tantummodo loquor, nisi ea praesumere volo, quae in sequenti demum sectione explicanda sunt) contendere audeam, duobus hisce morbis prorsus nihil commune esse, quam dolores inflammatorios, licet a multis auctoribus magna eorum similitudo celebretur.

Atque

Atque haec duo dolorum genera aequè bene distinguuntur, et a quocunque in arte salutari vel mediocriter versato haud minus distingui possunt, quam si, dolore vel praxi vera obuersante vel solummodo cum ceteris comitantibus phaenomenis accurate descripto, quaestio oriretur: vtrum hic dolor inflammatoriae, an spasticae sit indolis? si nempe ambo dolores simplices ac puri sunt omnique carent complicatione, vti hoc loco rheumaticus et arthriticus intelligendus est. Quemadmodum enim illi causis cuique generi dolorum propriis praegumenis et symptomatibus manifesti fiunt, (quod exponere hic non locus est) sic etiam vterque hicce morbus, quem iam tractamus comparatus est, si earundem causarum et symptomatum ratio habetur; quod, vt opinor, certis argumentis probare haud difficile erit, idque eo minus, quo magis ea, quae supra de arthritide dicta sunt, ad comparationem cum rheumatismo faciliorem reddendam multum conferent.

Iam itaque ab arthritide discrepantia symptomata et causas rheumatismi eodem ordine persequar, qui in describendo hoc morbo adhiberi solet.

1) Ac primum quidem unusquisque quancunque aetatem agens rheumatismo omnibus anni temporibus obnoxius est, nec non raro homines prosperrima valetudine gaudentes subito ex manifestis et leuissimis causis eo corripuntur; quum contra ex iis, quae supra dicta sunt, appareat, arthritidem quaedam tantummodo corpora adgredi, eiusque causas occultiores, magis continuas et grauiore esse, easque sensim modo vim suam exferentes, ita ut malum gliscens accedat.

Praeterea de arthritide monitum est, eam plerumque mares solum et quidem prorsus adulta aetate demum inuadere, adolescentes vero et mulieres sub quadam tantum conditione; at rheumatismus non solum sine respectu sexus aetatisue homines vexat, sed
 praeci-

praecipue eos, qui immunes manserunt ab arthritide, itaque secundum regulam supra constitutam mares ab aetate iuuenili vsque ad XXXV^{mum} annum *m*), et feminae non solum aequae ac viri, sed saepius adeo, obseruante cl. HOME *n*), hoc morbo affliguntur.

2do) Arthritidis paroxysmi reuertuntur saepe vel absque causis manifestis *o*),
seruat-

m) CVLLEN l. c. pag. 11.

n) Guiliemus BROOK, Dissertat. inaug, de Rheumatismo acuto, vid. Dissertationes med. Edinburg. vol. II anni 1789 pag. 9. sequentia habet — "*Vir clarus Dr. HOME praxi sua*
„in nosocomio regio Edinensi edoctus, notauit
„feminas, quae in rheumatismum incidunt,
„quantum ad numerum spectat mares plus
„quam 3. 1 excedere. Hoc negligentiae illarum,
dum proueniunt menstrua, quo tempore systemata muliebria causis excitantibus facillime afficiuntur, tribuendum putat".

o) WITHERS observations on the abuse of medicine London. 1775 pag. 48.

seruatque periodos determinatos, id quod nunquam de rheumatismo obseruatur, et si interdum reuertuntur rheumatismi, fit semper post manifestas causas procatarticas, vti est perfrigerium, quod quidem et arthritidis reuersioni ansam praebere valet, haec autem et absque huiusmodi causis occasionalibus periodos suas seruat. *”Ich habe oeffters bemercket (inquit cl. VOGEL p) dasz Erkaeltungen bey Podagriften auffer der gewöhnlichen Periode, wenn das Podagra sonst wieder zu kommen pfleget, eher Rheumatismen, Catarrhalsieber und dergl. hervorbringen als das Podagra.*

3) In arthritide plerumque aut forsan semper digestio est turbata q), quare anorexia aut bulimina, anima foetens, nausea, ructus, flatus, acor primarum viarum, obstructions alui, vel diarrhoea, excretio foecum foetentium, languor et grauitas membrorum arthritidem, vt supra vidimus, proce-

p) *Handbuch* d. p. A. K. 2 B. p. 85.

q) VOGEL. l. c. pag. 83.

praecedunt; quod vero in rheumatismo vel non animaduertitur, vel tantum vt accidentale quid obseruatur *r*).

4) Rheumatismus residet praecipue in musculis eorumque membranis *s*) et per tendines atque aponeuroses interdum quoque per vaginas neruorum latius expanditur; quare mobilitatem membri non omnem suspendit sed tantum quatenus hunc vel illum tendinem aponeurosin vel membranam vinctam tenet *t*); arthritis vero latius per aponeuroses non expanditur, sed capsulae ligamentari adfixa manet; quare membri quoque mobilitas penitus suspenditur, donec materia arthritica in aliud membrum se receperit *u*).

Externe

r) HOFFMAN Med. rat. T. III. Lect. 1 cap. III. §. 34, MUSGRAVE de arthrit. symptomat. p. 18. Macbride Introductio methodica. T. II. pag. 243.

s) LENTIN l. c. p. 123.

t) LENTIN l. c. p. 123.

u) Conf. plura Sect. Ima loca.

Externe refidet arthritis praeter maiores articulationes praecipue in minoribus digitorum, manuum ac pedum, cubitorum, genuum, rarius humeri, rarissime in tota spina dorsi; quod rarissime de rheumatismo obseruatur, nam maxime vulgaris rheumatismi sedes est humerus et homoplatae superna pars; deinde caput, oculi, fauces, gingivae, aures, collum, pleura, vesica urinaria, lumbalis regio, coxae et femur, secundum iter fasciae latae v).

5) Stragulorum vel fotuum calore dolorem rheumaticum exasperari, arthritidem mitigari, adfirmant cel. LENTIN et VOGEL hic vero addit, „*welches iedoch nicht von chronischen gilt, wenn der leidende Theil kalt ist,* w).

6) Quod

v) CVLLEN l. c. pag. 12. LENTIN l. c.

w) Contra hanc sententiam, SAGER l. c. p. 13. Observationem a semetipso factam adlegat; „ego, inquit, interea tamen in viro 55 annorum rheumatismo chronico, scil. ischiatico malo laborante obseruavi et ibi dolores stragulorum ope esse auctos.

6) Quod semel adgressus est membrum rheumatismus, praecipue chronicus, diutius et constanter tenet *); arthritis contra sedem multifariam mutat, praesertim si iam est inueterata.

7) In

*) Circa hoc discrimen SAGER l. c. haec monet; "Sed hoc de rheumatismo vago „dici nequit. Sic ego quoque ipse in rheumatismo chronico post 8 dies dolorem „ex vno femore ad alterum transmigrasse „obseruavi". Sed ex meo iudicio per se intelligitur, rheumatismum vagum hac dicta proprietate eximendum esse; quae tamen nihil omnino ad rem refert, quum grauioris sit momenti, ipsum rheumatismum chronicum contraria prorsus indole esse quam arthritidem inueteratam; rheumatismum vero magis esse vagum, ad acutum inclinare, et inuersa ratione characteristicum esse rheumatismo chronico, ut fixus sit, inter omnes fere scriptores constat, et tanquam canon constitutus est; quem quidem innumeris praestantissimorum medicorum experientiis probatum cel. SAGER vnica a se facta obseruatione refellere nequit.

7) In arthritide vrina et aluus putridum olent, fudor vrinofum x) et vrina post feperationem fedimentum rubrum et quafi arenulis refertum deponit, nec aeger vt plurimum nifi tertiam potulentorum, quae adfumit, partem per veficam reddit y).

8) Porro in arthritide, CLERKIO obferuante, vrinae filamenta quaedam innant, quae exemta cryftallos pelluciditate aequant, et exficcata calcem formant albam quam doctiffimus vir pro vera arthritidis, podagrae et calculi materie habet.

9) Adfinitas calculi cum arthritide in rheumatifmo locum non habet; praeterea in arthritide vel obftinaci iamque inueterata tandem in extrema parte articulorum oriuntur concretionef illae calculofae feu TOPHI; nunquam vero hi in rheumatifmo funt obferuati.

10) Con-

x) LENTIN l. c. p. 125. VOGEL l. c. p. 84.

y) SYDENH. l. c.

Contra autem in cadaueribus arthritico-
rum nunquam materia illa gelatinosa seu fe-
rosa musculis insidens est inuenta, qualem in
cadaueribus rheumatismaticorum reperimus *a*).

11) Arthritis interdum primariam sedem
figit in parte interna; (illa scil. quam supra
incongruam nuncupauimus) e contrario
rheumatismus ab externis partibus ad inte-
riora vergit, vel oriens ab internis causis
exteriora petit *b*).

12) Oritur arthritis directe ex pluribus
causis nunquam rheumatismum gignentibus,
vt luxurioso vitae genere, nimio veneris
vsu, motu corporis neglecto.

13) Adhuc ill. LENTIN *c*) et VOGEL *d*)
tale in medium proferunt discrimen, ni-
mirum quod in rheumatismo dolor febrem,
fi

a) SYDENH. l. c. WITHERS l. c. p. 45.

b) VOGEL l. c. p. 85.

c) l. c. pag. 123.

d) l. c. pag. 84.

si qua sequitur, praecedat; in arthritide dolor febrim demum sequatur, febrisque vehementia remittat, simulac membrum tumorem conceperit.

Quod tamen discrimen, licet ab his egregiis viriis, quorum, auctoritati multum tribuendum est, constitutum, addubitare cogor; non quidem ex ea ratione, quae cel. SAGERVM e) induxit, ut id prorsus reiiceret, quandoquidem, ut ille contendit, *fieri possit*, ut eadem causa in corpore rheumatifinum generans simul et febrim excitet; nihil amplius enim hoc argumento probatur, quam, ut ita dicam, possibilitas pathologica, nec, si quid video, alicuius momenti esse potest, quando de factis sermo est, quae tanquam res experientiae statuunt. Sed ratio, quae me impellit, ut discrimen, supra dictum, addubitem, auctoritas est maximorum testium contrarium asserentium, nimirum quod febris

e) l. c. pag. 14.

bris in arthritide dolorem sequatur. Sic v. g. SYDENHAMVS postquam dolorem ceteraque symptomata descripsit, aperte: „*Mox, inquit, sequitur rigor cum horrore, et febricitatione aliquali*” *). Nec minus MUSGRAVIUS febrim inter symptomata incrementi refert, talia apud eum, itidem post descriptionem doloris et reliquorum symptomatum, leguntur ipsissima verba: „*Vigilanti arthritico dolenti, et inquieto, supervenit febricula, siti et aestu corporis, universali comitata* **)”.

Quibus auctoritatibus nisus (propria scil. experientia destitutus nihil constituo) supra quoque in exponendis symptomatibus arthritidis ita rem descripsi.

Longe maioris ponderis sunt discrimina phaenomenorum utriusque morbi, quae iam adiiciam.

14) Retropulsa arthritidis lubentius corripit ventriculum, intestina, renes et bronchia,

*) Syd. l. c. p. 437.

***) De arthritide primigen. p. 33.

chia, quam alias partes *f*); rheumatismus vero facilius ad collum, hepar, lienem, pleuram, vesicam etc. se recipit *g*).

15) Materies arthritica nunquam penitus e corpore eliminatur praeterlapso paroxysmo *h*). Sed materies rheumatica semper; nisi rheumatismus chronicus antea fuerat neglectus.

15) Rheumatismus neque per contagium posteritati vel propinquis impertitur; arthritis vero labe haereditaria et contagio contrahitur; id quod iam supra inter signa pathognomonica arthritidis commemoratum est, simulque indicatum, omnia dubia, quae

f) Conf. h. opusc. Sect. I.

g) VOGEL l. c.

h) Argumenta huius asserti ex parte iam ex iis elucescunt, quae in sectione prima de qualitatibus huius morbi attuli, omnia vero collegit SAGER ex MUSGRAVIO. Itaque superuacaneum esse videtur, ea iterum hoc loco stilo persequi.

quae contra hanc opinionem mota sint, aequè diferte ac ingenioſe a cel. SAGERO refutata eſſe.

Tandem non praetermittendum eſſe videtur diſcrimen a cl. VOGEL *i)* conſtitutum, vt hac occasione hancce opellam vel vna noua obſeruatione exornem, quae forſan efficiet, vt lectorem non poeniteat laboris perlegiſſe diſſertationem.

Diſcrimen, cuius modo mentionem feci, iſſis auctoris verbis ita declaratur; „*Den podagriſchen Tripper und weiſſen Fluſs, der vor Clerk von niemandem bemerkt worden, hat meines Wiſſens nie eine rheumatiſche Materie hervorgebracht.*“

His vero repugnant non ſolum experientiae LEAKII, MORGAGNII, RIDLINII, RAVLINII et STOLLII, ſed etiam teſtimonium viri, cuius effata in re medica, merito et ſaluti totius artis ſalutaris, tanquam

i) l. c. p. 85.

canones spectanda sunt, et reuera ab eruditissimis viris nostrae aetatis sic considerantur, dico scilicet celeberrimum RICHTE-
RVM, praeceptorem, quem ex intimo animi affectu deueneror. Qui itaque egregius vir secundum morem suum, nunquam satis laudandum, discipulis suis nouissima semper et grauissima tum ex sua ipsius tum ex aliorum experientia proponendi, obseruationem nuperrime factam mihi et aliis eius auditoribus enarrauit. Tres iuuenes simul deambulantes in itinere antecessa vehemente aestuatione non minus vehemens perfrigerium perpeffi sunt. Breuissimo tempore post omnes simul effluuium ex vrethra vna cum omnibus symptomatibus gonorrhoeae benignae experti sunt, necnon dolores in omnibus artubus vagantes. Quum vel minima suspicio causae syphiliticae procul abesset, sola antirheumatica remedia adhibita sunt, quibus breui tempore conualuerunt. Iam vero cum unicuiusmodi casus, a viro obseruatus, cuius

ius

ius acre ingenium atque sagacitas errorem et fallaciam non admittunt, iam sufficiat, ad id probandum, quod probare volumus; quanto magis confidendum est, quum haec obseruatio simul in tribus diuersis hominibus confirmata sit?

Quodsi vnquam hancce scriptiunculam dignabitur aliqua attentione vir clarissimus, cuius sententiae haec obseruatio contraria est, rationem meam, cur hoc scripserim, spero, agnoscet, quae nulla alia est, nisi vt ipsi seu veritati, cui est amicus, officium debitum praestem.

Enarratis, tam accurate, quam fieri potuit, omnibus tum veris tum putatiuis discrepantiis, quae arthritidem inter et rheumatismum omnibus fere temporibus notae sunt, supersunt ea adiicienda, quae plurimi scriptores de causa proxima rheumatismi cogitauerint, vt haec cum illa arthritidis comparentur. Atque hic om-

nes *k*) fere eo conueniunt, causam rheumatismi proximam tribuendam esse *acri materiei in vasis lymphaticis haesitanti, qua nerui tum praemantur, tum propter eius acrimoniam irriterentur.*

CVLLENIVS solus esse videtur, qui etiam hac in re, vti in arthritide, peculiarem materiam reiicit, prorsus nouam de rheumatismo constituens pathologiam, vtpote qui affectionem inflammatoriam in vasis sanguiferis vna cum quodam rigiditatis gradu in fibris muscularibus pro causa proxima rheumatismi acuti habeat, rheumatismi vero chronici atoniam et rigiditatem tam fibrarum muscularium quam vasorum sanguiferorum *m*).

Sed

k) MACBRIDE l. c. p. 243. STOERK annus med. p. 115. NICOLAI patholog. p. 436. SYDENH. l. c. 273. BOERHAVE de cognosc. et cur morb. §. 1491.

m) l. c. p. 26 — 34.

Sed omiſſis pluribus aliis difficultatibus, quibus haec explicandi ratio obnoxia eſt, cenſeo, **I**mmum ſecundum conſuetas in pathologia receptas notiones atoniam cum rigiditate coniunctam in muscularibus fibris et vafis ſanguiferis cogitari non poſſe, quamvis praeceptor, quem pie deueneror, cel. **HERTZ** *) merito moneat, debilitatem *neruorum* tam a nimia rigiditate quam flacciditate pendere poſſe. 2^{do} Quomodo ex ſola atonia fibrarum muscularium vehementes dolores explicari poſſint, non video; alias obſeruatur in morbis atoniam doloris vacatione gaudere.

Nouimus tam multas rheumatifmorum ſpuriorum ſpecies, v. c. rheumatifmum a cauſſa ſcorbutica, ſyphilitica, cancroſa, ſcabioſa etc. quid impedit, quo minus et ſimplici rheumatifmo, vbi omnes iſtae cauſſae rheumatifmi ſpurii non reperiuntur, peculiarem materiam, genus ſeu rheumatifmum

D 5

*) *Briefe an Aertzte 2te Sammlung.*

tissimum verum constituentem, adscribamus? Quum saepius in nostra disciplina species describantur, quamuis genus ignoremus, seu vbi saltem genus nunquam in sensus nostros externos incurrit, v. c. miasma peripneumonicum; quidni? in hoc morbo genus recipiamus, in quo accuratissime omnes species enarrare valemus, et omnia phaenomena, tum crisis, materia gelatinosa in cadaueribus, etc., tum frequentissima remota causa, puta transpirationem suppressam, quin omnia fere eiusmodi materiam in rheumatismo vero adesse, nos docent? — At non indiget res mea defensione, quum, vti supra dixi, inter maximos medicos prisca et recentioris aevi constet, in rheumatismo propriam irritantem materiam latere. Sic, vt pauca tantum et grauissima testimonia afferam, Macbride; *„Observatio, inquit, attentior demonstrat, duo genera distincta ab iis constitui, acrimoniam rheumatisticam ab arthritica minimum tantum differre, quantum*

„tum

„*tum, quae morbillos parit, materia mor-*
 „*bifica diuersa est ab ea, ex qua variolae*
 „*nascuntur*” n) — Cel. SELLE o) ita sen-
 tentiam explicat. „*Und endlich, inquit,*
 „*scheint sich die rheumatische Materie von*
 „*der arthritischen darinn zu unterscheiden,*
 „*daß jene ein Abkömmling von dieser ist,*
 „*und daß es bey der rheumatischen Ma-*
 „*terie an Kräften fehlt, um sie so zu*
 „*verarbeiten, daß sie zur gichtischen werde;*
 „*wenigstens ist die gichtische Materie weit*
 „*subtiler als die rheumatische*”. — STOERK
 quaestionem proponit, an in fero fanguinis
 praecipua sit mali sedes p)? Praeterea
 egregius hic obseruator magnam exemplo-
 rum multitudinem enarrat de rheuma-
 tismis methastasis ichorosae materiae
 sanatis, vbi nulli dubitationi locus est,
 vtrum materia transposita effectus, an
 caussa morbi fuerit.

De-

n) l. c. p. 240.

o) Med. clin. p. 154.

p) ANNVS med. II. p. 115.

Denique cel. COTVNIUS in eximio eius libro, de ISCHIADE neruosa, tam manifeste, opinor, probauit materiam rheumaticam tanquam caussam proximam rheumatismi, vt nulla theoretica subtilitas hanc veritatem infringere possit.

Iam vero, postquam de comparandis caussis et phaenomenis vtriusque morbi tantum dictum sit, quantum per limites huius libelli dici potuit, ad vtriusque morbi melam inter se conferendam me accingam, vt appareat, qualis sit hoc nomine vel consensus vel dissensus, vtque hac disquisitione instituta iudicium de natura discriminis inter hos morbos ferri possit.

SECTIO IIIa.

ARTHRITIDIS ET RHEVMATISMI MEDE-
LA, HABITA RATIONE EORVM HOC
NOMINE VEL DISCRIPANTIAE VEL
SIMILITVDINIS.

Quemadmodum in antecedentibus sectio-
nibus consilio mihi propositio sufficebat,
pathognomonica tantum signa et praecipuas
vtriusque morbi causas attulisse, sic etiam
hoc loco non opus est, vniuersam curandi
methodum toto ambitu persequi. Itaque
probatissima duntaxat et ab optimis scripto-
ribus laudata remedia, secundum indica-
tiones generales, in medium proferam.

Quum praeterea cautelae in singulis
remediis adhibendae generalioribus praece-
ptis nitantur, quae etiam in aliis morbis
valent, eas solas attingam, quarum obser-
uatio inprimis in his morbis sanandis re-
quiritur. Tandem de arthritide et rheuma-
tismo

tissimo simplici sermonem esse, non vero de complicationibus et spuris speciebus, ne verbo quidem monendum.

Quum antea de arthritide primo loco tractare solitus sim, etiam in hac sectione primum obtineat locum.

A) Cura arthritidis.

In regulari arthritide, de qua iam praecipue loquimur, quum impetus certis tantummodo temporibus seu periodis inuadant, et in interuallis absoluta fere omnium functionum integritas adsit, medela hanc ipsam ob causam duo habet momenta, nempe

a) curam paroxyfmi, quae omnia ea amplectitur, quae durante paroxyfmo ipso adhibenda sunt, neque eo consilio, ut eum depellamus, sed nimiam eius acerbitem leniamus, tolerabiliorem reddamus, vel mortem imminentem arceamus,

b) Curam radicalem vel prophylacticam, quod prius nomen illi conuenit, ob bonam medici voluntatem, posterius autem
ratione

ratione effectus, quem aeger ab ea experitur, verius esse videtur.

Licet enim triplex propositum sit medelae in omnibus, quae praecipiat, scilicet ut vel in disposito, ubi nondum in lucem prodiit malum, occurrat et praecaueat, vel, ubi iam paroxysmis quibusdam manifestum factum est, prorsus extirpet et deleat, vel tandem id saltem efficiat, ut impetus quam rarissimi et lenissimi euant, ultimum tamen, quod dolendum! plurimis casibus solum obtineri solet, et quidem maxima medici et aegri diligentia. Nam vera cura radicalis, quatenus consilio et arte effici potest, (casu quidem, vulneribus vel vehementioribus animi pathematibus paroxysmos subito euanuisse nec unquam rediisse, historia medica multis probat exemplis) tam raro felici successu gaudet, ut maximi tum prisca tum recentiores medici eam impossibilem praedicent et solummodo tanquam pium desiderium

con-

considerent. Iam AURELIANVS q) non solum omnes difficultates huius medelae radicalis bene nouit, sed etiam causas earum expresse descripsit q), et nostris temporibus egregius STOLL talem sententiam fert: *Non speres, ait, neque facile tentes radicalem arthritidis curam, si aeger annosam iam habet et fere continuam arthritidem; ita enim tunc morbus coaluit cum toto homine, ut eum pessumdes potius, quam ex toto ob arthritide liberares r).*

Primum itaque agatur de remediis in ipso paroxysmo in auxilium vocandis.

Quia hic aeger semper in statu febrili versatur, imprimis febris indoles spectanda est, eique tractatio accommodanda: ita tamen, ut semper diaphoresin respicias.

Febre igitur ad biliosas vergente symptomatibusque fordium admodum urgentibus

q) morbor. chronic. Lib. V. cap. II. p. 560.

r) l. c. p. 449.

bus, initio soluentia antibiliosa, emetica lenia vel cathartica, prout materia vel sursum turgescit, optima et saepe admodum salutifera remedia sunt; simul quies et tenuis victus commendanda sunt. Inter euacuantia in hac febre emetica aliis praeferenda videntur, quia minus debilitant, quam purgantia, et insuper magis sunt antispastica et diaphoresin promouentia. Quod si vero res ac conditio remedium laxans necessario efflagitent, lenissimum sit; v. c. serum lactis tamarindinatum, tartarifatum, vel, quod LENTIN s) mauult, infusum laxat. managet. absque femine coriandri cum mirab. Glauberi, vel similia.

Si febris magis ad inflammatorias sese inclinat, vel si prorsus inflammatoria est, quemadmodum a plurimis obseruatoribus describitur, pulsu duro et pleno, et doloribus vehementissimis, apparatus antiphlogisticus toto ambitu locum habet, duabus tamen
rebus

s) l. c. p. 126.

rebus exceptis, nimirum ex altera parte frigus externum non admittendum, ex altera modicus boni vini vsus non denegandus est, praecipue si miser debili ventriculo laborat et antea vino adfuetus fuit. In vena secanda, (nam solet in hoc casu, praecipue in iuuenibus ac robustis, vena secari) maxima cautio, tum propter regulas generaliores, tum propter duas hic praecipue spectandas rationes, obseruanda est; prima ratio est, quia secundum probatissimam cel. MEADII *t*) experientiam, venaesectione dolor ab alio loco ad alium propellitur, ideoque egregium remedium est, quandoquidem nobiliores partes, quae ab arthritide cruciantur, liberare possimus venaesectione; sicuti vero arthritidis retrograda hoc remedio in regularem mutari potest, ita etiam inuersa ratione paroxysmus regularis hac ipsa re retropelli solet *u*); altera ratio, quae praeci-

t) Monita & praecepta med. p. 201. v. SWIET.
l. c. p. 345.

cipuam prudentiam in phlebotomia suadet,
 eo confistit, ne corpus nimis debilitetur et
 sic ad arthritidem atonicam disponatur.
 Quodsi igitur indicationi quolibet tempore
 eminenti satisfactum, et febris eo euidenter
 imminuta est, tum a diaphoreticis primo
 lenibus deinde fortioribus multum speran-
 dum est. Exordiaris ergo ab infuso saturato
 cardui benedicti *v.* Sambuci, mixtura cum
 rob. Samb. et Spirit. Mindereri et pergas
 ad ptisanam ex radicibus Sarfaeparillae, Chi-
 nae, Bardanae *v*), ad Camphor. *w*) liquor
 C. C. succinat. aliaque. Simul vero victus
 vegetabilis et diaphoreticum regimen obser-
 vetur; maneat itaque miser in lectu, donec
 sensim sensimque crisi- bus partialibus, sudore
 et urinae hypostatica, (quae intra vnum-
 quodque nycthemeron fiunt) materia noci-
 va prorsus eliminata sit, tonus partium af-
 fectarum restitutus, et hac ratione paroxys-
 mus, qui, uti ex antecedentibus apparet,

E 2

modo

v) LENTIN l. c. pag. 126.

w) La COSTE l. c. p. 65.

modo per XIV. dies, modo diutius durat, omnino cesset. Tandem inter remedia in hac morbi periodo adhibenda commemorandum est opium; nam nunc demum, ubi omnia symptomata febrilia euanuerunt, et dolores adhuc somnum nocturnum inquietant, ante cubitum guttulae quaedam laudani *x*) cum fructu propinantur. Initio vero paroxysmi plus damni quam salutis adfert.

Haec fere sunt praecipua aequae probatissima interna et vniuersaliter vim exferentia remedia (quocirca et venae-sectio illis adnumeratur) quae durante paroxysmo praecipui solent.

Inter externa et topica, quorum ab omnibus temporibus ingens cohors ad dolores leniendos commendata fuit, v. c. cataplasmata emollientia, anodyna, inunctiones cum balsamo sulphuris therebintinati, verberatio cum vrticis, moxa *y*) cetera; duo
solum-

x) CULLEN l. c. pag. 113. SIDENH. l. c. p. 476.

y) BOERHAAVE de Cog. et curand. morb. §. 1278.

solummodo reperiuntur, quae cum securitate et spe prosperi euentus applicari possunt, nempe

a) hirudines, quarum quidem usus in ea periodo optimus est, quando membrum dolens tantum rubet, non vero tumet; minime contra applicandae sunt membro sudare iam incipienti.

b) Alterum remedium externum non minus securum et salutiferum est inuolutio ope panni mollis, (Flanel) vel ex sententia cel. LENTINI, panni cera viridi therebintina obducti, (*grünes Wachstuch*) quo pedes iusta transpiratione seruantur. Omnia alia topica vel omni fructu carent, vel adeo materiam maximo, miserorum damno retropellunt.

Postremo postquam haec remedia expectatum successum habuere, et paroxysmus prorsus absolutus est, quidam a) in vni-
ver-

a) LIGER l. c. p. 239. La COSTE l. c. p. 69. STOLL. l. c. p. 455. Quin Chey-
ney

versum exiguum laxans ad corpus a materia arthritica omnino purgandum commendant; quod tamen alii, quorum princeps CVLLENIVS est *b)*, disuadent, itidemque in genere, quandoquidem inde morbus facile recidiuus fieri possit.

Interim nihil de hoc remedio in genere dici posse censeo, sed usum eius in vnoquoque singulari casu, ex vniuscuiusque individui statu diiudicari debere, vtrum scilicet indicatio, an contraindicatio maioris momenti sit.

Quid in tribus arthritidis anomalae speciebus agendum sit, proprie huc non pertinet, tamen et quia in priori sectione mentionem illarum feci et ne nimis imperfectum sit opusculum, quam breuissime potero, praecipua duntaxat remedia saltem
nomi-

ney omnem paroxysmi curationem solis absoluit purgantibus, vnoquoque mane sumendis et vespera opiatis. vid. SCOT. l. c. p. 122.

b) l. c. p. 114.

nominabo, quae durante paroxysmo *retrogradae* et incongruae arthritidis in subsidium vocanda sunt. Quae ad atonicam spectant, quum sit magis chronica, infra, ubi de cura radicali dicetur, locus magis idoneus erit paucis hanc anomalae speciem tangendi.

Si igitur in *retrograda* ventriculus pars affecta est, optimum remedium esse videtur vinum candidum et generosum *c)* vel vna cum aromaticis, vel si id nondum sufficiat, spiritus ardentis *d)*, cum assa foetida, seu solutio assae foetidae in alcali volatili *e)*, Electuor. thebaic *f)* et camphora, moschus, etc. Si forsitan cum affectione ventriculi crebri vomitus coniuncti essent, initio aqua tepida

E 4 vino

c) SYDENHAM. l. c. p. 474. CVLLEN l. c. p. 119.

d) CVLLEN l. c.

e) ibid.

f) ibidem.

vino mixta eos adiuuare potes, deinde vino solo, et tandem, vbi opus erit, aliis supra memoratis remediis. Idem faciendum est accedente diarrhoea. Ad externa remedia, non solum in hoc rerum statu, sed etiam quando materia in quancunque aliam partem delata est, vtiliter adhibenda, referas balnea aquae tepidae, cui semen sinapi infusum fuerat, cantharidum adplicatio, vel sinapismus acrior, pediluua, femicupia, moxa g) etc.

Si materia arthritica in pulmonibus deposita est, et asthma, peripneumonia spuria etc. oriuntur, antispasmodica, opium, vificatoria in pectore et pediluua efficacissima remedia sunt.

Arthritide cerebrum inuadente, et vertigine, apoplexia et paralyfi accedente, vnica remedia, a quibus aliqua salus speranda est, sunt vesicatorium vniuerso capiti impositum, irritantia, de quibus supra monui

g) STOLL. l. c. p. 454.

nui, extremitatibus applicata, et interne data excitantia neruina.

Altera species, hoc loco memoranda, illa est, quam supra *incongruam* (misplaced) nominavi. Quum autem haec, ut supra in eius descriptione expositum est, in affectionibus inflammatoriis acutis earum partium, quas adoritur, consistat, atque istae affectiones inflammatoriae nihil differant ab aliis inflammationibus, quae aliis causis ortum debent, sequitur, ut cura sit talis, qualem omnes aliae inflammationes requirunt.

Paroxysmo igitur, fuerit siue regularis siue irregularis, prorsus desinente, ita ut aeger vires iam recuperauerit, ad alterum medelae momentum circumspiciendum est, puto:

Curam radicalem seu prophylacticam.

Quam difficilis vero illa sit et quam rarissime votis nostris respondeat, licet nec a medico nec ab aegroto quidquam

omissum sit, iam in vniuersum supra disputatum est; non possum tamen, quin hoc loco et istud adiiciam, in quocunque morbo mali ominis esse et semper difficultatem curationis portendere, si magna remediorum multitudo est, praecipue cum in hac medicaminum farragine multa reperiuntur, contrariis viribus praedita, quod in eiusmodi casibus ita comparatum esse solet; exemplis inseruiunt tenia, hydrops cerebri, calculi vesiculae felleae et vesicae vrinariae, colica pictorum, etc. Contra omnes hos et multos alios his similes morbos innumera fere ab omnibus hominum aeuis remedia commendata sunt, et nihilo fecius exempla, vbi cura bene cessit, rarissima; par quoque ratio nostro morbo est respectu curae radicalis. Atque haec ipsa eximia curationis difficultas, vt aciem mentis ad finem mihi propositum vertam, nonne essenziale discrimen inter arthritidem et rheumatismum constituat? quum hic multo frequen-

quentius et multo facilius, saltem donec nondum inueteratus est, sanetur? Sed haec tantum in transitu dixerim; iam ad ipsam curam radicalem accedo.

Consentiunt fere omnes hucusque memorati scriptores *h)*, unicum remedium, si usquam secura reperiatur ratio, de qua expectentur ea, quae nomen huius curae prae se fert, solummodo in diaeta idonea et omnino vitae genere prudenter variato quaerendum esse; quae quidem per continuum tempus observari debent, nisi speratis excidere velimus. Sigillatim vero hanc diaetam et vitae agenda rationem persequi, tum longum esset, tum a scopo, quem tendo, abhorreret, praeterea La COSTE *i)* CVLLEN *k)*, et SCOT *l)*, satis
prolixè

h) MUSGRAVE, SYDENHAM, BOERHAAVE, v. SWIEDEN, LIGER, STOERK, QVARIN, MACBRIDE, STOLL, CVLLEN, SCOT, LA COSTE etc.

i) l. c. p. 84 - 94.

k) l. c. p. 94 - 104.

l) l. c. p. 139 - 150.

prolixè rem expanderunt. Satis ergo nobis fit, generaliora quaedam de his, quae haec diaeta et vitae genus complecti debeat, differere.

Quod igitur ad cibum attinet, optimum quidem esset, si ab omni esu animalium prorsus abstineretur, et omnia aegri alimenta sola ex lacte et vegetabilibus farinaceis *m)* constarent. Sed tanta abstinentia multifariis laborat difficultatibus usum eius impredientibus; nam primo paucissimi eam susciperent, vitaeque rationem ei accommodarent; dein homines vel annis vel morbo ipso iam fracti nimis ea debilitarentur, quocirca iuuenibus tantum et robustis initio praecipienda esset; verum et in his non exigua difficultas apparet, nimirum quod, quantumuis ista seuera continentia paroxysmos leniores et rariores reddere valeat, certissima experientia etiam comprobatum fit, vel minima ab illa diaeta

ab-

m) CULLEN l. c. p. 98.

aberratio paroxysmos multo violentiores efficere, quam antea, nec raro miserum in mortis periculum detrudere. Hae et multae aliae difficultates prohibent, quominus victus tantummodo ex lacte et vegetabilibus conficiatur; possunt et debent ideo vegetabilibus tenera et concoctu facilia carni generum adiungi; dummodo aeger feras et immodicas coenas caueat.

Potui optime inferuit aqua pura, quam senibus aliisque vino antea adfuetis, vinum oligophorum concedendum fit.

Vestitus is fit, qui paulo densior est, quam pro ratione temporis. Sero deponat aut nunquam vestes hyemales. Perfrigeratio vitetur. Etenim levis perfrigeratio invitat paroxysmum. Largior diaphoresis interdum et noctu iis est necessaria.

Habitet, si per alias conditiones ipsi liceat in amplo cubiculo, loco elato, ruri per aestatem. Pessima est complicatio scorbuti cum arthritide, quae tamen evenit in habitatione humida.

Animus

Animus quoque componi debet, studia feueriora, nocturna, ingrata, post partum culta remouenda. Sunt qui vnice in recuperanda valetudine versantur, at ita anxii, vt omnis eorum cogitatio circum hoc vnicum sit. Oblectent animum studiis amoenioribus, et vbi meditatione aut longa sessione opus non est. Equitatio non adfectos et equo pernici hos laedit.

Obstructio aluina maxima cura deuitetur; qua propter e re erit, subinde, si opus est, laxans lenius propinare; idque non nimis purgans, sed aluum tantummodo laxam feruans; cui consilio inseruiunt praeter alia, aloetica rhabarbarina, magnesia alba, flores sulphuris *n*), ex quibus modo hoc, modo illud eligatur, pro tempore ac conditione vniuscuiusque aegri.

Denique omnibus hisce diaetae et regiminis praeceptis, conditio, vt aiunt, sine qua non, addenda est, vt nempe
omnes

n) CULLEN l. c. p. 106.

omnes supra recensitae causae excitantes
omni cura ac studio praecaueantur.

Haec in genere duntaxat propositae
diaetae et regiminis cautelae summam curae
prophylacticae continent, ita quidem, ut
continua et diuturna earum observatio usum
propriorum medicaminum supervacaneum
reddat, et tamen finis exoptatus obtineatur.
Quum autem haec seuera vitam agendi
ratio, quamvis paululum iam remissa, non
tam religiose et constanter, quam opus
est, excerceatur, omnibus fere temporibus,
vitia diaetae variis peculiaribus medicamini-
bus compensare studuerunt.

Atque haec, tum a medicis, tum a
medicastro, in hunc finem commendata,
hoc loco omnia enumerare, labor aequè
molestus ac superuacaneus foret, praecipue
quum plurima eorum nostra aetate abolita
sint, postquam multa, quae olim lauda-
tissima fuere specifica, ut inutilia et no-
civa cognita sunt; qualia v. c. sunt diacen-
tau-

taureum COELII AURELIANI veterum, et pulvis ducis PORTLANDIAE recentiorum o). Efficacissima vero, probatissima et nostris medicis vsitatissima remedia, quorum enarratio mihi sufficiat, sunt:

1) G. Guaiaci, quod in corporibus frigidis et pituitosis sub variis formis, vt a) Tinct. volat. Guaiaci Londinens. b). Elix. volat. Edinburg., a Dawson admodum laudatum; habet tamen hoc incommodi, quod aqua propinandum sit, qua magno pars praecipitatur, ideo paululum G. arabici admixtum amat; c) Solutio G. Guaiaci in rum, quod vocant p); d) cum floribus sulphur. et cremor. tartar. q).

2) *Antimonium*, vbi materia spirabilis vrget. Cel. Quarin coniunctum cum Sarsaparilla

o) CVLLENIVS, e centum, qui hoc pulvere vsi fuerunt, intra vnum alterumue annum nonaginta ac imprimis apoplecticos obiisse testatur.

q) STOLL. l c. p. 459.

q) *Hannoverisches Magazin* anno 1777 36
Stueck.

parilla exhibet. Dosis ingredientium et decocti bibendi pro diuersitate aegrorum et morbi pertinacia variat. *Nullum, inquit, in arthritide chronica praestantius remedium animaduerti r).*

3) *Aconitum s).* In *London. medical Journal* plurima exempla exstant, vbi ope huius medicaminis vna cum cicuta propinati arthritides quam maxime inueteratae exstirpatae sunt.

4) *Radices Taraxaci et Cichorei* decoquendae et praelo exprimendae, cum Syrup. rad. quinque aperientium, terra foliata tartari v. tartarif. *t).*

5) *Lac ebutyratum*, mane instar ientaculi vespersisque sumtum, „*egregium est solvens antarthriticum*, inquit cel. STOLL *u).*

6) *Trifolium fibrinum v).*

7) Al-

r) Animaduers. pract. p. 279.

s) STOLL l. c.

t) l. c. p. 458.

u) ibid.

v) Actis Hauniens. vol. I. p. 461.

7) Alcalia, v. c. Alkahest Glauberi, spiritus nitri fixi aqua calcis, sapo venet. w).

8) Cel. LENTIN x) *acidum Halleri, domitorem arthritidis nuncupat.* Repugnantiam in oculos incurrentem, qua hoc remedium alteri modo nominato contrarium est, aliter explicare nequeo, quam vt arthritidem a LENTINO obseruatam forsan spuriam fuisse censeam, et quidem a caussa scorbutica; saltem regio et homines, in quibus animaduertit vir clarissimus, id probabile reddunt.

9) *Rhododendron chrysanthum* magno-pere laudat KOELPIN y) et quidem infusum ex stipitibus et foliis.

10) *Pulsatilla.*

11) *Ilex aquifolium* in infuso decocto pro potu ordinatio z).

12) *Aquae minerales*, quae ferrum et sal amarum continent a).

Ha-

w) LIGER l. c. p. 292. et seq. x) l. c. p. 127.

y) *Von der syberischen Schnee-Rose.*

z) FRITZE *med. Annalen.*

a) QVARIN l. c. p. 277.

Habes iam quaedam ex praecipuis remediis internis, quorum usus in cura radicali haud irritus erit. Praeter haec adhuc quaedam externa commendantur, inter quae prae aliis eminent:

1) Frictiones siccae, (Flesh - brush, Anglor).

2) Indusium e panno molli contextum (Flanel-Wams).

3) Diuturnus usus balnei sulphurei, veluti Baadensis, Carolinensis &c.

Insuper passim occurrunt in scriptoribus multa alia, v. c. balneum frigidum, fumigationes siccae, natationes, (Stürzbad), vesicatoria, alia; haec vero ei arthritidis anomalae speciei conuenire videntur, quam atonicam vocant, et de qua paucis adhuc monebo, quoniam, vt supra innui, cum molestiae eius chronicae sint, magis consentaneum est, tractationem eius in curam prophylacticam differre, quam statim in cura paroxysmi de ea verba facere, vbi ce-

teris anomalae speciebus magis idoneus locus erat.

Quandoquidem omnium molestiarum hanc arthritidem atonicam comitantium nimia vniuersi corporis debilitas in culpa fit, omne curae negotium eo absoluitur, vt corpus roboretur, ita vt saltem paroxysmi regulares reddantur, quamobrem

imo euitentur, quantum fieri potest, caussae debilitantes,

2do huc pertinent roborantia tonica tam interna, quam externa: ad interna refer a), victum animale cum modico vini vsu b); omnia medicamina roborantia tonica, hic nullas alias cautiones, quam generales efflagitantia, excepto tamen cortice Peruuiano, vtpote qui singularem cautelam postulet, ne eius vsus nimis diu continuetur, quia ex obseruatione CVLLENII b), nimia eius continuatio, vti pulueris Ducis Port-

b) l. c. p. 117.

Portlandiae, saepius asthma, apoplexiam et hydropem accersit.

Remedia externa hic eadem sunt, quae supra contra atonicam commendavi, ut balnea frigida c) natationes, (Stuerzbad) fumigationes siccae, vesicatoria, fonticuli, moxa etc.

Ac nunc quidem praecipua de arthritidis cura in medium prolata esse videntur, quatenus scil. propositi consilium efflagitavit; iam ad alterum huius sectionis momentum, nempe

B Curam rheumatismi simplicis accedo.

Secundum causam proximam, supra commemoratam, duae hic reperiuntur indicationes.

Indicatio I. materia rheumatica stagnans solvenda, mitiganda et euacuanda; motusque febriles atque dolores vehementes, ubi praesertim periculum imminet, minuendi.

Indicatio II. Partialis et totalis corporis debilitas tollenda; sicque recidivae impediendae.

Indicatio I.

Materies rheumatica stagnans soluenda mitiganda et euacuanda. Huic fini respondent resoluentia et euacuantia diaphoretica.

a) *Externa remedia.*

Hisce annumeranda sunt: 1) calidiora vestimenta partium affectarum, quae pannis laneis camphora imbutis seu fumo fucini impraegnatis aut indusiis laneis *d)*, praecipue vero linteo viridi cera obluto *e)* (*grünes Wachstuch*) obteguntur — 2) Frictiones ope pannorum laneorum *f)* vaporibus balsamicis impraegnatorum, seu ope unguentorum discutientium ex linimento volatili et camphora, unguento saponato, et in casu obstinaci ex unguento mercuriali — 3) Infrictio spiritus Minder., tinctur. cantharid. *g)* per se seu in
con-

d) VOGEL l. c. 2 B. p. 128.

e) TISSOT avis au peuple à Lausanne 1785. p. 202.

f) BROKLESBY *Beob. v. Feldkrankheiten a. d. Engl. d.* SELLE p. 90.

g) VOGEL l. c. p. 121.

connubio aliorum remediorum — 4) Fomentationes discutientes ac emollientes ex decocto herbar. emollient. c. sapone veneto — 5) Cucurbitulae ficcae in vicinia partium affectarum applicatae, quas saepe se cum fructu adhibuisse, ill. STROMAYER, praeceptor ad cineres vsque colendus, affirmat. — 6) Epispastica; sic sinapismi *h)*, Empl. ex fermento panis cum sale amoniaco, Empl. Gummos. cum parua vesicatorii parte *i)*, Emplast. ex calce viua cum melle, a TISSOT *k)* laudatum etc.

Efficaciora adhuc sunt vesicatoria *l)* seu vlcera artificialia ope corticis Mezerei, Setacea et fonticuli, seu inuisiones *m)* quae ope moxae aut lanae finissimae aut gossypii instituuntur — 7) balnea naturalia

h) ibid.

i) MACBRIDE l. c. p. 249.

k) l. c. T. I. p. 202.

l) VOGEL l. c. p. 125. MACBRIDE l. c.

m) BOERHAAVE aphor. 1493. v. SWIETEN l. c. p. 672, Poutan Melange de Chirurgie à Paris 1782. T. I. p. 1.

ralia et artificialia praesertim sulphurea —
 8) balnea vaporis ex aceto seu spiritu vini
 cum herbis aromaticis, semicupia et balnea
 vniuersalia tepida *n)* — 9) Electrifatio *o)*.

b) interna remedia.

Si adhuc quaedam suspicio febris adest,
 propinanda sunt refrigerantia resoluentia et
 leniter diaphoretica; si vero febris magis
 prona esset ad febrem pituitoso - catarrhalem,
 magis calefacientia diaphoretica in usum
 vocentur.

Priori in casu ergo 1) potus refrige-
 rantes et diluentes 2) Infusum florum
 sambuci et rob. sambuci 3) Spirit. Minder.
 4) Tartarus emeticus 5) Nitrum antimo-
 nial. per inspissationem paratum 6) Mix-
 tura simplex cum vel sine camphora 7) Cam-
 pho-

n) BOERHAAVE Aphor. 1493., TISSOT l. c.
 p. 203. VOGEL l. c.

o) Eximium huius remedii externi effectum
 Berolini sub auspiciis egregii praeceptoris
 M. HERTZII ipse vidi in ischiade, iam per
 plures annos durante et nulla ratione nec
 internis nec externis aliis remediis cedente,
 nec ipsi quidem moxa, quamnis omnia antea
 sed frustra tentata essent.

phora, si nempe febris valde sit mitigata, pulsus mollis, caput liberum, et prima viae essent purae, quadrabunt.

Altero in casu vero, 1) Infusum florum sambuci pro potu ordinario 2) Serum lactis sinapinum *p)* 3) Decoctum radicis Graminis, Bardanae, Sarsaparillae, stipitum Dulcamarae *q)*, ligni guaiaci etc. Sassafras *r)* 4) Varia praeparata antimoniaia, v. c. Kermes mineral. Sulphur. aurat. antimon. tart. praecipit. in conuubio falsi amoniaci, tart. tartarifici, Extr. Saponaceor., Camphorae, G. guaiaci etc. Vinum antimon. Hux. *s)* per se seu cum Spirit. Mindereri; aqua benedicta RVLANDI; Sulphur auratum antimon. liquid., antimon. crudum cum absorbentibus seu aromaticis iunctum 5) Aquae minerales 6) Salia alcalia volatilia *t)* v. c. al. c. c., liquor c.

p) VOGEL l. c.

q) Memoires sur les vertus et l'usage et les effets de la Douce-amere etc. par Mr. CARRERE.

r) SWIETEN l. c. p. 679.

s) VOGEL l. c. p. 114.

c. c. succinat. praesertim liquor antarthriticus ELLERI 7) Lignum et G. guaiacicum, vel forma decocti vel G. guaiacum cum vitello ouorum, seu cum sale C. C. seu cum cremore tartari, aut forma pillularum cum sapone veneto, praesertim pillulae a MONRO v) laudatae. 8) flores sulphuris c. saccharo seu cremore tart. 9) Stipites Dulcamarae vel forma decocti vel extr. in connubio aliorum antirheumaticorum, aut in vino antim. Huxh. soluti 10) Pulvis DOWERI 11) Extr. Cicut. vel solum vel in vino antim. Huxh. solutum 12) Aconitum, quod praesertim a STOERK w) et STOELLER x) laudatur vt specificum. 13) Flores arnicae, vel forma infusi pro potu ordinario, vel forma extracti cum aliis antirheumaticis — 14) Sapo y) vel solus vel in connubio aliorum resoluentium extr. tarax. G. amoniaci etc. — 15) Mercurius, tam dulcis, quam

w) Libell de Seramonio et hyoscyamo aenito.

x) *Beobachtungen und Erfahrungen.* p. 146.

y) MONRO l. c. p. 152.

quam sublimatus, vel in casu venereo vel in alio obstinaci rheumatismo z]. Sed praeterea decoct. Salep, ligni Guaiaci copiose bibatur.

Et si dolores euaderent iusto vehementiores, si metuendum esset, ne illi vel indicationes, quas febris requirit, impediant, vel aliis symptomatibus spasticis ansam praebeant; tunc iidem minuendi erunt. Praefertim vbi dolores sunt magis inflammatorii, vsui sunt: 1) Venaesectiones topicae — 2) Fomentationes et epithemata ex herbis emollientibus et anodynis, ex cicuta et hyoscyamo — 3) balnea vaporosa — 4) Emplastrum ex extr. cicutae et opio et emplastr. de hyoscyamo — 5) Si plethora mitigata, sinapisimus seu vesicatoria in parte remota — b) Opium in connubio ipecacuanhae, tartari emetici etc.

Indi-

z) LENTIN l. c. p. 124. *rebellis interdum (rheumatismus) qui vero si omnia fallunt vel Mercurio corrosiuo, vel inunctione unguenti Neapolitani, in ipsam doloris sedem prudente et suspensa manu directae, utique cedit.*

Indicatio II.

Partialis vel totalis corporis debilitas tollenda, sicque recidivae sunt praevertendae: Quem in finem adhibenda sunt. 1) Frictiones continuatae — 2) alimenta facile digerenda — 3) Commotiones corporis modicae in aere sicco et libero — 4) electricitas — 5) Aegroti diu adhuc post superatum morbum defendantur contra humiditatem et perfrigerium; quem in finem saepe commendantur indusia lanea commutatio domicilii — b) Lotio partium debilium ope aquae frigidae seu balnea frigida — 7) balnea stillatitia, et si rigiditas partis affectae remansisset, animalia — 8) Tandem roborantia, praesertim amara, v. c. Quassia, Valeriana, infusum flor. Chamomillae, cardui bened., Centaurei minoris et praeprimis rubia tinctorum, cortex Peruvianus *a*), atque aquae minerales omnem absoluunt paginam.

Ex hac amborum, quoad curandi methodum, instituta comparatione, unusquis-

a) VOGEL l. c. p. 112.

quisque, a me non admonitus, intelliget, hosce duos morbos, quamuis in vniuersum multum habeant similis in cura, tamen ex plurimis nominibus non exiguam hoc respectu admittere dissimilitudinem. Nam praeter illud, iam supra breuiter expositum discrimen, quod scilicet curatio arthritidis multo difficilior sit quam rheumatismi, cui multo saepius et facilius potest mederi, etiam in variis medicaminibus non leuis diuersitas reperitur; sic v. c. Mercurium cel. LENTIN *b)* probatissimum remedium in pertinaci rheumatismo expertus est, quum e contrario hoc ipsum medicamen in arthritide regulari vera nullius utilitatis sit, et docente MONRO *c)* speciei tantum arthritidis spuriae, quae originem a malo Celtico trahit, prodest. Ita etiam sunt medicamina, vbi contrarium obtinet, v. c. Acidum HALLERI, iterum auctore LENTINO, eximium commodum affert

b) vid. supra Nota 2) *c)* Quarin l. c. p. 280.

affert arthriticis, nemo autem eius vim in rheumatismo animaduertit. Haftenus de fimilitudine et diuerfitate curandi methodi.

Consideremus nunc in fequenti fectione, vt tandem aliquando propius ad feopum et finem huius fecriptiunculae accedamus, quaenam ex comparatione phaenomenorum, cauffarum et medelae vtriusque morbi colligi poffint; vtrum fcil. difcrimen inter hos morbos conftituendum fit, et, fi locum habeat, quatenus ad id attendendum, et quanti momenti fit, vt hoc difcrimen refpiciatur.

SECTIO IV.

QVID EX OMNIBVS HVCVSQVE CONSIDERATIS COLLIGI POSSIT?

Quo diutius, confiteor, hanc rem animo volui, et quo propius horum morborum naturam in elaboranda hac difsertiuncula perfexi, eo magis mirum mihi vifum eft, quod non folum veteres, fed etiam recentiores, iique viri magna auctoritate, his duobus morbis identitatem, vt
aiunt,

aiunt, tribuerint. Omnia vel tamen plurima requisita, quae, secundum regulas initio opellae praemissas, nos inducerent, ut hos duos morbos prorsus pro vno eodemque haberemus, desunt. Etenim ex signis characteristicis et causis praecipuis arthritidis, quas prima sectio exposuit, nec minus ex comparatione illorum cum rheumatismo in secunda sectione instituta, manifeste elucescit, et phaenomena et causas horum morborum paululum tantummodo inter se commune habere; tertia denique sectio plures ratione medelae diuersitates nobis ostendit. Si itaque in duobus morbis haec tria summa momenta, phaenomena, causae et curatio differunt, quoniam iure eos non solum cognatos, sed duos adeo vnum existimemus? At obiiciet aliquis cum cel. STOLLIO, quum ipse confiteris et confiteri debes, curam vtriusque morbi, excepta exigua diuersitate, omnino esse eandem, sequitur, ut omnia alia discrimina nullius practicae utilitatis sint; cui itaque bono morbos distinguamus? Sed facile et quidem auctoritate eiusdem STOLLII responderi potest, quamuis ex aliquo discrimine nulla essentialis utilitas indicationi therapeuticae oriatur, istud tamen discrimen non negligendum esse, quandoquidem prognosin magnopere adiuuat. Et sane neque a medico neque ab aegroto contemnen-

dum est commodum, si, vt CVLLEN inquit, semper ex causis praegressis, ex dispositione, ex redeuntibus paroxysmis, aliisque, certo constitui potest, vtrum contra morbum ex leuioribus causis conflatum, ideoque sanatu faciliorem pugnandum sit, an morbus ex longe grauissimis causis ortus, et per totam substantiam diffusus superandus nobis se offerat, vbi ergo salutis spes multo minor est. vt eiusmodi discrimen, quod solum respectu prognoseos alicuius ponderis sit, id considerat egregius STOLL, quod ex diuersa causarum excitantium indole proueniat. En vobis ipsissima eius verba: *Atque si aliquod sit discrimen inter rheumatismum et arthritidem, id omne a varia causa excitante deriuandum esse arbitror.* Ceterum hos duos morbos omnibus aliis nominibus prorsus eosdem esse censet, ita etiam respectu materiae, acrimoniae seu plethorae acris, vti eam vocat. Quod ad hoc posterius attinet, nimirum *materiam* amborum morborum eandem esse, non possum, quin ipse sententiae eius subscribam; siquidem cuncta discrimina, quae hucusque in materiae natura constituere voluerunt, non solum nullis nituntur argumentis et precarie adsumta sunt, sed, cum difficultates tollere deberent, plures adhuc mouent; Ita v. g. comparatum est cum magno illo discrimine inter peculiarem vtriusque

que morbi materiam, a cel. MACBRIDE constituto, cuius iam supra mentionem feci; hoc enim non solum multifariae difficultates ratione similitudinis et diuersitatis in medela e medio non tolluntur, sed cel. STOLL maximo suo iure de eo monet: "*Sed immemor erat vir doctissimus, rheumatismos in arthritides saepissime mutari, atque iuuenes aetate vegeta rheumatismis vexari solitos, aetate magis prouecta arthriticos euadere f).* —

Materiam itaque amborum morborum eisdem prorsus indolis esse cum hoc clarissimo auctore ut vero proximum concedendum esse videtur; sed si ideo omne aliud discrimen, praeter id, quod in causis excitantibus manifestatur, reiicere vellemus, ex altera parte nimis longe a vera rei natura recederemus, nec quidquam de difficultatibus imminuendis lucraremur. Nam ex solo discrimine, quod in causis remotis inuenitur, nondum satis apparet, quomodo duo morbi, ceterum indole seu causa proxima prorsus congruentes, tamen ratione medelae tam manifestam diuersitatem prae se ferant? cur alter longe facilius curatu sit altero? cur adeo inuicem alteri remedium optimo cum successu adhibeatur, quod in altero irritum est? Quae cum ita sint, nonne ita lis dirimi potest? ut, posita eadem indole peculiaris materiae,

tamen

tamen essentiale vtriusque morbi discrimen constituatur, idque non coniecturis solum superstructum, sed aequae experientia fultum, quam istud causarum remotarum discrimen? quo constituto, saltem ex meo iudicio omnes tum similitudines tum discrepantiae, in his morbis obviae, longe faciliores se praebebunt explicatu. Atque hoc discrimen essentiale id ipsum est, quod iam supra, ubi de causa proxima sermo erat, commemoravi.

Pluribus enim atque grauissimis argumentis ibi maxime probabile euictum est, causam proximam arthritidis quasi duplicem esse, i. e. praeter acrimoniam humorum (de qua iam dixi, eadem esse naturam quam illam in rheumatismo) etiam vitium in systemate nervoso adesse, sit vel causa, vel concausa vel effectus huius acrimoniae, tamen haec coniuncta demum causam proximam arthritidis efficiunt; in rheumatismo contra nihil nisi acrimonia tamquam proxima causa spectandum est. Quod quidem discrimen essentiale nonne ex omnibus supra dictis apparet in rei ipsius natura fundatum? Porro nonne hac ratione multo melius intelligitur, quare in utroque morbo eadem remedia vsui esse possent, quatenus scilicet contra eandem acrimoniam dimicant; quare rheumatismi, in quo sanando solummodo acrimonia eliminanda est, curatio longe expeditior et frequentior sit, quam arthritidis

tidis, vbi cum morbo totius substantiae res gerenda est, et medicamina adhibita ex vna ratione prodesse, ex altera obesse solent.

SYDENHAMVS ergo aperte iam hanc ex duabus remotis causis compositam causam proximam arthritidis exponens, diserte: *Hae, inquit, causae ita toto coelo, quod aiunt, a se inuicem discrepant, vt quae huic profunt remedia alteri obsint, vnde hic affectus ita curatu perdifficilis.* Quid? quod ipsae exiguae curationis diuersitates melius eo explicantur; v. c. quod Mercurius, efficacissimum contra omnes fere acrimonias medicamen, maximi emolumenti fit in rheumatismo, nec tamen in arthritide aliquid valeat, in qua non solum contra acrimoniam agendum est, vbi itaque cum sit remedium irritans, nociuos adeo effectus edere potest; et inuicem quod acidum HALLERI vt egregium antispasmodicum arthritidi solummodo vtile sit nec rheumatismo? Denique arctissima vtriusque morbi cognatio et frequens rheumatismi in arthritidem transitus nullo alio modo melius perspici posse videtur. ITA, vt tandem peroremus, ARTHRITIS ET RHEVMATISMVS, LICET QVAEDAM CVRANDI METHODI AEQUALITAS ADSIT, NON SOLVM FORMA ET CAVSSA REMOTA, SED ETIAM CAVSSIS PROXIMIS, ITAQVE ESSENTIALITER DI-
VERSA SVNT.

Theses.

- I. Praeter solitas atque cognitatas secretionis vrinæ vias alias adhuc esse debere, easque cum vesica immediate coniunctas, tum ex recentioribus experimentis, tum ex aliis rationibus verosimillimum est.
 - II. Aequè probabile redditum est recentibus anatomiae detectionibus, arteriam hepaticam non solum vas nutriens a natura constitutam esse, sed etiam partes suas agere in secernenda bile.
 - III. Vis neruea eandem habet rationem ad irritabilitatem fibrarum muscularium, quam quilibet alius stimulus ad corpus irritabile, ita vt vis neruea ipsa longe ab irritabilitate absit.
 - IV. Aeris salubritas non semper ex gradibus Eudiometri computanda est.
 - V. Aquae phagedaenicae praeparatio cum sola aqua destillata priscae illi methodo, quae aquam calcis in hunc usum adhibebat, longe praeferenda videtur.
 - VI. Similiter methodus nuper ab *Hahnemanno* laudata, scil. in vino aliis liquoribus vel minimam Saturni quantitatem detegendi, tanquam multo securior et accuratior, veteri illi *Gaubii* methodo, quae ope liquoris probatorij instituitur, longe anteponenda est.
 - VII. Methodus nuperrime a *Plouquet* commendata docimasiam pulmonum instituendi, propter multas, quibus coniuncta est difficultates, et fallaciam haud adhibenda est.
 - VIII. Submersi plerumque morte suffocatiua, non apoplectica obeunt.
 - IX. *Cel. Pottii* consilium, vt in omnibus cranii fracturis statim trepanatio fiat, non solum nullis argumentis fulsum, sed etiam periculosum existimo.
 - X. Fracturae cranii, nisi simul externae integumentorum laesiones adsunt, quibus ope visus et tactus detegi possint, omnibus peculiaribus signis destitutae sunt.
 - XI. Aduersus vomitoria, si vera indicatio vrget non datur vllum verum contra-indicans, praeter inflammationem ventriculi.
 - XII. Quod praestat anatomia et physica scientia physiologiae, scil. vt cognitionem intuitiuam praebent, idem praestant clinicae exercitationes pathologiae.
-

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF TORONTO

1910

1910

1910

1910

1910

1910

1910

1910

1910

1910

1910

1910

1910

1910

1910

1910

1910

1910

